



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris
Theologi Architectura Christiana**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae Agrippinae, 1653

6. Fides informis An & Quomodo sit Fundamentum potentiâ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)

Et ita de fundamento tali exponit S. Paulum I. ad Corinth. III. asserentem, super fundamentum ædificari posse, aurum, argentum, lapides pretiosos.

ARTICVLVS VI.

FIDES INFORMIS

An & quomodo sit Fundamentum potentia.

QUEMADMODUM Fundamētū materialiter esse potest sine ædificio; ita Fides esse potest in eo, in quo per vinculū caritatis nondū connexa, & cōpacta est Domus Spiritualis; tunc autē rectē dixeris, esse Fundamētū secundum aptitudinem quasi materiale respectu ædificii Spiritualis, atque ita potentia. Eadem autem Fides, modò in peccatore informis, fit deinde formata quando peccata remittuntur per gratiam & caritatem in animā diffusam: Sic quæ potentia solum fuerat fundamentum fit illud actu. Quæ cum ita se habeat, existimo, Fidem etiam informem esse *ὑπόστασις*, & substantiam rerum sperandarum: ac proinde eam à definitione Apostoli non debere excludi. In quo firmor, quod ipse Colossenses hortetur, nulla caritatis mentione facta, ut Fidei tanquam fundamento stabiles insistant. Cū enim metueret, ne Colossenses Simoniana dogmata cum Christianis fidei præceptis conjungerent, requirit, ut sint fundati & stabiles in fide. *Si permanetis, inquit, in Fide fundati, & stabiles, & immobiles, à spe Evangelii, quod audistis ad Colossenses I.*

Non me latet, S. Bonaventuram ablegare Fidem informem

(a) S. Thom. 22. q. 4. art. 4. (b) Bannez. q. 4. art. 7. dub. 2. Con. 4.
(c) S. Bonav. in 3. d. 23. art. 1. q. 5. Malderus 22. q. 4. art. 1.

formem à consortio illius, quæ est hypostasis, quod in-
 formis non sustentet spiritualis ædificii fabricam. Ve-
 rum id est, quo ad actum, non quo ad habilitatem, & en-
 titatem materialem, secundum quam est fundamentum
 & basis rerum sperandarum: non quæ informis, sed quæ
 Fides. Ita siquidem est inchoatio & initium spiritualis
 ædificii, adeoque rerum sperandarum, & Salutis æter-
 næ. Ex quo sumatur, felicem esse nostram sortem, qui
 in Ecclesiâ Catholicâ, sumus nati & educati, in qua sola
 est vera Fides, non quidem in omnibus formata,
 tamen in omnibus quamvis alioqui peccatori-
 bus, vera, & consequenter, quæ sit hypostasis re-
 rum sperandarum, salutis initium; sine qua nulla virtus
 Christiana, & multo minus virtutum congeries, in mo-
 dum ædificii conformata potest subsistere, ac proinde
 nec haberi Salus. Siquidem ex Divi Pauli pronuntiato:
*Ad Hebr. XI. sine Fide impossibile est placere DEO. Et accedentem
 ad DEUM, oportet credere quia est, & quia remunerator
 est inquirentibus se. quod nullus cre-
 dit hæreticus.*



SERMO